

aut si conjuncta sit cum necessitate vel utilitate Ecclesiæ ac religionis.

(7. Ut vero pressæ necessitatibus reipublicæ legitime succurrat Ecclesia, sive parato peculio, sive bonis etiam alienatis et sæcularizatis, conditiones aliquæ requiruntur. Præscribit illas utrumque Lateranense concilium, alterum a. 1179, sub Alexandro III, alterum a. 1215, sub Innocentio III, prohibens, ne ullo modo ex facultatibus ecclesiasticis subveniatur reipublicæ, nisi episcopus et clerus tantam necessitatem aspexerint, ut absque ulla exactione (coactione) ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias existiment conferenda, addendo: ut propter imprudentiam quorundam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. Requiritur itaque primo, *ut laicorum non suppetant facultates*; si enim reipublica ex his nervum rerum gerendarum sibi comparare possit, bonis ecclesiasticis nondum opus habet, adeoque casus necessitatis bonorum ecclesiasticorum nequa adest. Habet nimirum reipublica suum ærarium ferendis communibus oneribus primario destinatum, sicut Ecclesia pariter communia onera ecclesiastica sine concursu reipublicæ ferre debet, ac in hos ecclesiasticos usus destinatum primario ærarium habet. Concedendum igitur Ecclesiæ in nostro casu jure merito beneficium ordinis, ut ad communes necessitates concurrere non teneatur, quandiu alia media supersunt, quandiu scilicet ærarium reipublicæ adhuc est solvendo, et hoc etiam exinanito, quandiu cives onera communia ita ferre possunt, ut plene non exhauriantur. Profecto cum multis nobilibus, magistratuum, militum, aliisque collegiis privilegium illud competat, ut non nisi in extraordinariis necessitatibus reipublicæ subvenire teneantur, cur Ecclesiæ simile jus invidendum?

(8. Secundo non sufficit necessitas vel utilitas quævis reipublicæ. Tanta scilicet requiritur, « ut episcopus existimare possit, conferre ecclesiam sua debere subsidia; » voluntque interpretes, ut necessitas Ecclesiam æque principaliter premat, uti rempublicam; si enim secus contingeret, vera reipublicæ necessitas adesse non videretur, sed tantum quorundam privatorum, nec ulla ratio, cur in bona ecclesiastica involare liceat.

(9. Potissimum vero tertio, juxta cit. concilium, auctoritas ecclesiastica adesse debet. Cum enim rerum ecclesiasticarum administratio a primis sæculis separatim clero competierit, hoc jure spoliandus non est, cum insuper justissimum sit ut in re, etiam minimi momenti, altera, cujus interest, pars audiatur. Quid æquius, quam ut audiatur Ecclesia, si illius bona in subsidium petantur? Quid iniquius, quam si princeps subito bonis suis Ecclesiam privaret, ne auscultata quidem ejus exceptione, quod necessitas bona ecclesiastica captandi necdum adsit, etc.? Duo ergo hic vitanda

sunt extrema: Primum: Ne respublica, dum aliæ facultates adhuc suppetunt, vel dum vera non adest necessitas publica, subsidia ecclesiastica requirat, multo minus sine consensu et interventione, ac directione ecclesiastica, vi extorqueat; sed, ut ait concil. Later. « Recipiat absque ulla coactione cum gratiarum actione, » juxta quod constans, ac juri non minus, quam æquitati et praxi subnixæ sententia est, in nullo plane casu laicis competere, ut ipsi quantitatem subsidii ab Ecclesiis præstandi, determinent, aut huic, alterive clerico vel Ecclesiæ, ejusque prædiis suam ratam assignent, sed hanc partitionem ad judicem ecclesiasticum spectare: et sicut ejus solius est, videre num necessitas sufficiens adsit ad præstanda subsidia sacra, ita et illius est, tam determinare quantitatem, quam illam a subjecto clero colligere, et denique semper per modum doni gratuiti in reip. subsidium conferre. Alterum: Ne Ecclesiæ præules, ut regibus placeant, assensum suum nimis facile per indulta, ut vocant, pro levandis decimis aliisque collectis de rebus ecclesiasticis, præbeant; aut econtrario perspecta licet reipublicæ necessitate, qua in re principis, cum hic reipublicæ negotia melius norit, iudicium utique revereri debent, si inquam, agnita reipublicæ necessitate nimium difficiles sint, ac suppetias differant, donec reipublica magis periclitetur, aut de illa plane actum sit. Itaque succurrere quidem Ecclesiæ potest, ac debet reipublicæ periclitanti; sed sicut rerum ecclesiasticarum administratores, non minori circumspectione, quam alii administratores rerum reip. aut etiam pupillarum solum officium suum gerere debent, ita non solum in concedendis subsidiis ecclesiasticis, sed multo magis in bonorum ecclesiasticorum alienatione perpetua, et a regulis plane exorbitante, qualis est sæcularizatio, munus illorum est, summa, qua possunt, accuratione perpendere, num revera causæ illæ subsint, quæ legitimæ ac sufficientes sunt.

(10. Cæterum nec in theoria, nec in praxi satis convenit, qua ratione auctoritas ecclesiastica accedere debeat, num solius episcopi consensus sufficiat, vel præter deliberationem et consensum episcopi ipsius S. Pontificis consensus requiratur, si agatur de imponendis Ecclesiæ collectis, vel plane bonorum ecclesiasticorum ad illas solvendas necessaria sæcularizatione. Putant equidem aliqui, si vera ipsiusmet Ecclesiæ utilitas vel necessitas juncta sit necessitati reipublicæ, sufficere episcoporum consensum, quorum sententia tunc certe obtinet, quando periculum in mora foret, aut absque gravissimo incommodo recurri non posset ad Summum Pontificem. Sed cum verba legis jubeant, *Romanus Pontifex prius consulatur*, et quidem in casu concurrentis utilitatis Ecclesiæ, debeatque supremum Ecclesiæ caput, ac B. E. administratorem tunc informari, quando de ecclesiastica Immunitate vel restringenda, vel violanda agitur, et multo magis, quando bona quædam sacris

usibus in perpetuum eripienda sunt, ideo in regula manemus, ac Pontificis consensum requirimus, si periclitanti reipublicæ suis ex bonis succurrere debeat Ecclesia. Hæc vero pro majori dilucidatione, et propter catholicos quosdam scriptores monuimus.

Legesis, integram Behleni dissertationem

SEDES VACANS

SUMMARUM.

1. Nomine sedis vacantis quid intelligatur? — 2. Nomine sedis vacantis intelligitur etiam quælibet abbatia, seu prælatura, aut dignitas inferior, cui facultas conferendi beneficia competit, et per obitum sui respectivi prælati censetur viduata. — 3. Per vacationem intelligitur omnis vacatio sedis, sive per mortem, sive per renuntiationem, translationem, depositionem et quemvis similem modum, per quem titulus amittitur. — 4. Item sedes vacat, si prælatus, seu episcopus sit notorie hæreticus. — 5. An sedes vacet, et capitulum possit procedere ad electionem vicarii capitularis, quando episcopus est excommunicatus vel suspensus, quando est factus captivus, quando est relegatus, quando episcopo in remotis degente, vicarius generalis ab ipso relictus moritur, vel a principe sæculari ejicitur e diocesi: aut est excommunicatus vel suspensus; *remissive*. — 6. Sedes vacare incipit a die scientiæ mortis certæ et non præsumptæ episcopi seu prælati. Vel a die certæ translationis, resignationis, et hujusmodi. — 7. Quando censeatur vacare sedes per translationem episcopi, *remissive*. — 8. Sedes semel vacans durat vacare tamdiu, donec litteræ Apostolicæ novi prælati in curia promoti vel confirmati fuerint expeditæ, et capitulo præsentata. — 9. Ante litterarum præsentationem non potest episcopus, seu alius prælatus promotus administrare episcopatum seu prælaturam; neque capitulum seu conventus potest eundem recipere. — 10. Sede Romana vacante, qui tenentur accedere, vel mittere ad curiam, ad id tenentur ac si non vacaret. — 11. Sede Romana vacante, collegium cardinalium non habet auctoritatem Papalem, nisi eam, quam sibi concessit Papa. — 12. Sede Romana vacante, potest collegium cardinalium providere de camerario et penitentiario. — 13. Sede Romana vacante, tempore concilii generalis legitime congregati electio Pontificis spectat ad cardinales et non ad concilium. — 14. Sede Apostolica vacante, summus penitentiarius potest dispensare solummodo in foro conscientiæ. — 15. Sede Apostolica vacante, potest vicarius Papæ facere ordinari suos, aut eis etiam non arctatis dare demissorias. — 16. Sede Apostolica vacante, omnes menses sunt ordinariorum,

(1. Nomine sedis vacantis intelligitur potissimum Sedes Papalis seu episcopalis suo viduata pastore. *Communis*. (2. Insuper nomine sedis vacantis intelligitur etiam quælibet abbatia, seu prælatura, aut dignitas inferior, cui facultas conferendi beneficia competit, et per obitum sui respectivi prælati censetur viduata, juxta c. *Ne pro defectu*, 4, De election. Sic Glossa, in cap. 1, verb. *Ecclesia*, De rebus Eccles. non alienand. in 6; Barbosa, lib. III *Decretal.*, tit. 9, nu. 2; Pirrhing, *ibid.*, nu. 2; abbas, in c. *His quæ*, num. 2, De majoritat. et obedient., et alii passim.

(3. Per vacationem autem intelligitur omnis vacatio sedis, sive per mortem, sive per renuntiationem, translationem, depo-

ab Antonio Schmidt, in suo *Thesaurio juris ecclesiastici* recusat t. VI, p. 78 seqq.; P. Ignatium Schwartz, *Collegior. historico.*, n. VII, quæst. 2, sect. 6; et Benedictinum Zallwein, t. III, *Principior. jur. eccl.*, p. 862 seqq.

et tunc episcopi, et ordinarii collatores possunt providere de beneficiis vacantibus in quolibet mense. — 17. Beneficia reservata Papæ vacantia, Sede Romana vacante, a Papa successore sunt conferenda. — 18. Licet beneficia curata vacantia in curia Papæ sint reservata; tamen si vacent Sede Romana vacante, vel si sede plena vacaverint, et ante mortem Papæ non fuerint collata, conferri possunt de jure communi ab episcopo, vel ab aliis ad quos spectat; dummodo non sint de reservatis Papæ alia ratione, quam ob vacantiam in curia. Vide tamen *infra* num. 24. — 19. Beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura sæcularia et regularia qualitercunque qualificata, et ubicunque existentia vacantia, sede episcopali vacante, sunt Papæ reservata. — 20. Hæc reservatio beneficiorum vacantium, sede episcopali vacante, procedit, quando ad episcopum spectat electio, nominatio seu præsentatio personæ, quamvis collatio seu institutio ad alium pertineat, seu sit communis episcopi, et aliorum. — 21. Secus autem quando electio, seu nominatio, vel præsentatio ad alium pertinet; tunc enim quamvis collatio et institutio spectet ad episcopum, non intrat hæc reservatio. — 22. Item non procedit hæc reservatio, ubi simultanea ex concordia est divisa per turnos, etc. — 23. Item hæc reservatio non procedit, ubi collatio beneficiorum spectantium alias ad collationem episcopi, sede episcopali vacante, ad aliquem spectet, nec reservatur futuro successoris. — 24. Beneficia reservata Papæ quomodolibet, et ex quavis causa, si vacent, sede apostolica vacante, et de iis per quoscunque ordinarios collatores tunc dispositum non fuerit, seu minus valide dispositum fuerit, sunt conferenda a Papa successore. — 25. Sede episcopali vacante, nihil est innovandum, præsertim in præjudicium ipsius ecclesiæ vel prælati successoris. — 26. Unde, sede vacante, iudicium factum contra Ecclesiam est nullum. — 27. Sede episcopali vacante, si mandetur capitulo, ut præbendam alicui conferat, et interim nondum a capitulo executio mandato creatur episcopus, cui spectet collatio præbendæ, ab ipso episcopo debet conferri. — 28. Sede episcopali vacante, quid possit facere capitulum, et quid non? *remissive*. — 29. Alia ad rem ad num. 42.

sitionem, vel quemvis similem modum per quem titulus amittitur. Sic expresse Glossa communiter recepta in cap. unico, *Ne sede vacante*, verb. *Mortuo* in 6, ibi: « Mortuo idem est si quocunque alio modo vacet sedes, renuntiatione et depositione, vel quovis modo. » Pirrhing, *loc. cit.*, num. 1; Barbosa, *loc. cit.*, num. 5, et alii communiter.

(4. Item sedes vacant, si prælatus, seu episcopus sit notorie hæreticus. Sic declarasse sacram congregationem Concilii refert Fagnan., lib. III *Decretal.*, in cap. *Quia diversitatem* 3, De concessionibus præbend., num. 24. Nam proposito dubio: « An episcopo existente hæretico facultas concedendi dimissorias, juxta cap. 10, sess. 7, per-

tineat ad capitulum cathedralis Ecclesiae? Sacra congregatio die 24 Januarii 1588 censuit, ad capitulum pertinere, si episcopus sit notorie hæreticus. » Ex qua declaratione Fagnan., loco cit., nu. 34, et lib. v. *Decretal.*, cap. *Ad abolendum* 9, De hæret., num. 36 et 37, concludit quod quando episcopus est notorie hæreticus, sedes non vacat interpretative; sed vacat vere, et ideo jurisdictione, et consequenter facultas concedendi dimissorias transit in capitulum, sede vacante, ut cap. *His quæ*, et cap. *Cum olim*, De majoritat. et obedient., c. *Ut commissi* 12, De hæretic. in 6.

(5. An autem sedes vacet, et capitulum possit procedere ad electionem vicarii capitularis, quando episcopus est excommunicatus vel suspensus, quando est factus captivus ad hostibus catholicæ fidei, quando est relegatus, quando episcopo in remotis degente, vicarius generalis ab ipso relictus moritur, vel a principe sæculari ejicitur a diocesi, aut est excommunicatus, vel suspensus: *Vide* verb. *CAPITULUM*, art. 3, num. 31 et seqq.

(6. Sedes vacare incipit a die scientiæ mortis certæ, et non præsumptæ episcopi seu prælati: vel a die certæ translationis, resignationis, et hujusmodi. Sacra Congr. Episc., in una *Neritonæ*. 24 Maii 1634, ex cap. *Bonæ memoriæ* 36, De election. *Vide* dict. verb. *CAPITULUM*, art. 3, n. 37.

(7. Quando vero censeatur vacare sedes per translationem episcopi: *Vide* d. verb. *CAPITULUM*, art. 3, num. 31, et verb. *EPISCOPUS*, art. 3, n. 60, 61 et 62, ubi dantur ad id decreta.

(8. Sedes semel vacans durat vacare tandem, donec litteræ Apostolicæ novi prælati in curia promoti vel confirmati fuerint expeditæ et capitulo præsentatæ. Gonzalez, ad Regul. 8 *Cancellar.*, gloss. 15, § 2, num. 82, 83 et seq.; Rebuffus, in *Praxi*, titul. De Simonia in resignat., num. 31 et 40; Barbosa, part. iii *De offic. et potestat. episcop.*, allegat. 54, n. 160; Reiffenst., lib. iii *Decretal.*, titul. 6 et seq., et alii passim per text. in Extravagant. *Injunctæ* 1, De election. inter communes.

(9. Sola enim expeditio litterarum Apostolicarum non sufficit ad cessationem vacationis sedis episcopalis seu alterius prælaturæ, sed insuper requiritur earundem litterarum præsentatio facta capitulo sive conventui. Nam ante hanc litterarum præsentationem non potest episcopus, seu alius prælatus promotus administrare episcopatum seu prælaturam, neque capitulum seu conventus potest eundem recipere, ut expresse statuitur in cit. Extravagant. *Injunctæ*. Et tenent Azorius, *Instit. moral.*, part. i, lib. iii, cap. 29, q. 9, vers. *Cæterum*, loco cit., nu. 161; Reiffenstuel, loco cit., num. 9, et alii passim.

(10. Sede Romana vacante, qui tenentur accedere vel mittere ad curiam, ad id tenentur, ac si non vacaret, text. expresso in Clementin. *De election.*, c. *Ne Romani* § final., ibi: « Statuimus, ut electi, et alii,

qui ex quacunque causa ad Sedem Apostolicam venire vel mittere sunt astricti, ad ipsam, cum vacet, ac si non vacaret, venire vel mittere teneantur. »

(11. Sede Romana vacante, collegium cardinalium non habet auctoritatem Papalem, nisi eam, quam sibi concedit Papa, juxta constitutionem Greg. X, in concil. *Lugdunens.*; Clementin., *De electione*, c. *Ne Romani*.

(12. Sede Romana vacante, potest collegium cardinalium providere de camerario et pœnitentiario. Cit. Clement. *Ne Romani*, § *Eo tamen*.

(13. Sede Romana vacante tempore concilii generalis legitime congregati electio Pontificis spectat ad cardinales et non ad concilium. *Vid.* verb. *PAPA*, art. 1, n. 45.

(14. Sede Apostolica vacante, summus pœnitentiarius potest dispensare solummodo in foro conscientiæ. Sic expresse statuit Inn. XII const. 20, inc. *Romanus Pontifex*, § 46, ibi: « Sede Apostolica vacante, major pœnitentiarius, ejusque officiales ea tantum facere et expedire valeant, quæ ad forum conscientiæ pertinent, in reliquis eorum officium conquiescat, et a quibuscunque matrimonialibus, et aliis dispensationibus, ac absolutionibus, et declarationibus, nec non quibusvis aliis expeditionibus forum fori mistim vel separatim quomodolibet respicientibus omnino abstineant. »

(15. Sede Apostolica vacante, potest vicarius Papæ facere ordinari suos, aut eis etiam non arotatis dare dimissorias; Barbosa, *De offic. et potestat. Episcop.*, part. ii, alleg. 7, num. 13; Majol., Henric., Campanil., et alii ab ipso citati; La Croix, lib. vi, part. ii, n. 2263, cum aliis ibi citatis; concilium enim *Trid.*, sess. vii, cap. 10, et sess. xxiii, cap. 10, *De reformat.*, non restringit jurisdictionem Sedis Apostolicæ, quamvis vacantis.

(16. Sede Apostolica vacante, omnes menses sunt ordinariorum, et tunc episcopi et ordinarii collatores possunt providere de beneficiis vacantibus in quolibet mense. Anastasius German., *De Indult. cardinal.*, § *Quod tamen*, num. 99 et 109; Zerola, in *Praxi episcop.*, part. ii, verb. *Beneficium*, § 2; Flores de Mena, *Var. lib.* i, q. 4, n. 51; Gonzalez, § 5, *Proæm.*, a n. 46, qui n. 53 ait, quod non solum erunt omnes menses ordinarii ante assumptionem novi Papæ, sed etiam antequam faciat Regulas Cancellariæ. Barbosa, *De offic. et potestat. episcop.*, part. iii, allegat. 57, num. 191 et 192, cum pluribus aliis ibi citatis. Et ratio est, quia cum menses Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Junii, Augusti, Octobris et Novembris reserventur in Regula nona Cancellariæ solum ad beneplacitum Papæ concedentis, talis reservatio non est perpetua, sed expirat, et exstinguitur morte Papæ illius conditoris. Cum enim talis Papa post ejus mortem non sit amplius in rerum natura, non potest amplius habere beneplacitum, nec dispositionem c. unic., § final. *Ne sede vacante* in 6. Unde gratiam ad beneplacitum Papæ vel regis concessam, morte Pontificis

vel regis exspirare probat textus in c. *Si gratiose*, De rescriptis in 6; Barbosa, l. c., cum pluribus aliis ibi allegatis.

(17. Beneficia reservata Papæ vacantia Sede Romana vacante, a Papa successore sunt conferenda. Urbanus VIII, constitut. 6, incip. *Sanctissimus*, cap. 68, et Regul. 68 *Cancellariæ*.

(18. Licet beneficia curata vacantia in curia Papæ sint reservata, tamen si vacent, Sede Romana vacante; vel si Sede plena vacaverint, et ante mortem Papæ non fuerint collata, conferri possunt de jure communi ab episcopo vel ab aliis, ad quos spectat, textu expresso in cap. *Si Apostolica* 35, De præbend. in 6, dummodo non sint de reservatis Papæ alia ratione, quam ob vacantiam in curia. Urban. VIII, cit. constit. incip. *Sanctissimus*, cap. 68; Barbosa, in cit. cap. *Si Apostolica*, n. 4, cum aliis ibi citatis. *Vide* tamen regulam 68 *Cancellariæ*, infra n. 24, ubi refertur.

(19. Beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, sæcularia et regularia qualitercunque qualificata, et ubicunque existentia, vacantia, sede episcopali, archiepiscopali, primatiali et patriarchali vacante, sunt Papæ reservata. S. Pius V, const. 55, incip. *Sanctissimus in Christo*. Et Regul. 2 *Cancell. V. in Append. Decret.* in fin. h. tomi.

(20. Hæc autem reservatio beneficiorum vacantium sede episcopali vacante procedit, quando ad episcopum spectat electio, nominatio seu præsentatio personæ, quamvis collatio seu institutio ad alium pertineat, seu sit communis episcopi et aliorum, quia attendenda est prima dispositio beneficii. (21. Secus autem, quando præsentatio vel electio ad alium pertinet, quia tunc, quamvis collatio seu institutio spectet ad episcopum, non intrat hæc reservatio. Nam beneficia, quorum collatio non potest fieri ab episcopo absque alterius electione, nominatione, præsentatione seu interventu, non comprehenduntur sub hæc reservatione. Sic Regul. 2 *Cancellariæ*; Gonzalez, ad Regul. 8 *Cancellariæ*, Glossa 45, num. 10; Barbos., cit. alleg. 57, n. 98; Garcias, *De benef.*, part. v, cap. 1, n. 230 et seq., et alii passim.

(22. Item non procedit hæc reservatio, ubi simultanea ex concordia est divisa per turnos, ita ut una vice provideat episcopus, et altera capitulum, non solum quando beneficium vacat in turno episcopi, quia etiam tunc, mortuo episcopo, seu alias vacante sede, potest capitulum jure proprio conferre canonicatus et alia beneficia simultanea in quocunque turno vacent. Gonzalez, ad Regul. 8 *Cancellariæ*, Gloss. 45, § 3, n. 39 cum seq.; Garcias, cit. cap. 1, a n. 237; Barbosa, cit. allegat. 57, n. 90, et alii.

(23. Item hæc reservatio non procedit, ubi collatio beneficiorum spectantium alias ad collationem episcopi, sede episcopali vacante, ad aliquem spectat, nec reservatur futuro successor, quia regula *Cancellariæ*

non intendit tertio præjudicare. Sic decisum in Rota referunt, et tenent Nicol. Garcias, d. cap. 1, n. 244; Castropal., in *Oper. moral.*, tract. 13, disp. 2, punct. 18, n. 4 et 5; Barbosa, cit. alleg. 57; n. 90, et alii.

(24. Beneficia reservata Papæ quomodolibet, et ex quavis causa, si vacent Sede Apostolica vacante, et de ipsis per quoscunque ordinarios collatores tunc dispositum non fuerit, seu minus valide dispositum fuerit, sunt conferenda a Papa successore. Cit. regula 69 *Cancellariæ* præcisus his verbis: « Item sanctissimus dominus noster provide considerans, consuevisse quandoque Romanos Pontifices prædecessores suos beneficia, quæ vacante Sede Apostolica vacare contigerat, dispositioni suæ reservare, intendens de beneficiis hujusmodi tam clauvisticis, quam pauperibus clericis et aliis benemeritis personis providere, omnia et singula beneficia per regulas *Cancellariæ* Apostolicæ, aut quaslibet alias constitutiones Apostolicas temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, et ex quavis causa reservari solita, quæ a die obitus felic. recordationis Innocenti XII, prædecessoris sui usque ad diem vicesimam tertiam Novembris vacaverunt, et de quibus per quoscunque ordinarios collatores tunc dispositum non fuerat, suæ provisioni ac dispositioni reservavit. Decernens irritum, etc. » Hic advertit, quod hæc Regula est desumpta ex illis felicis recordationis Clement. XI, et ideo ponitur tempus vacationis Sedis Apostolicæ a die obitus Innocenti XII, sui immediati prædecessoris usque ad tempus suæ gloriosissimæ assumptionis in Summum Pontificem; quod tempus in tali Regula variatur a quolibet Summo Pontifice juxta differentiam temporis intercessi a die mortis sui immediati prædecessoris usque ad sui electionem.

(25. Sede episcopali vacante, nihil est innovandum, præsertim in præjudicium ipsius ecclesiæ vel prælati successoris. *Communis*, textu expresso in cap. *Novit ille* 1, Ne sede vacante aliquid innovetur; ubi insuper redditur ratio ibi: « Cum non sit, qui episcopale jus tueatur. »

(26. Unde sede vacante iudicium factum contra Ecclesiam est nullum. *Communis*, textu expresso in cap. *Constitutus* 3, Ne sede vacante, juncto summario, *ibidem*, sic expresse dicente: « Sede vacante iudicium contra Ecclesiam non tenet. » Et Glossa, *ibidem*, verb. *Vacante*; sic expresse loquente: « Hic patet manifeste, quod Ecclesia, quæ caret legitimo defensore, conveniri non potest, quia ea vacante, nihil est innovandum, quia non habet defensorem. »

(27. Sede episcopali vacante, si mandetur capitulo, ut præbendam alicui conferat, et interim, nondum a capitulo exsecuto mandato, creetur episcopus, cui spectet collatio præbendæ, ab ipso episcopo debet conferri, text. expresso in cap. *Eam te* 7, De rescriptis, juncto ejus summario, in quo sic præcise habetur: « Si sede vacante scribitur ca-

pitulo gerenti vices episcopi, ut præbendam alicui conferat, si creatus episcopus, nondum exsecuto mandato, et ad eum spectet collatio præbendarum, illud adimplere tenetur. »

(28. Sede episcopali vacante, quid possit facere capitulum, et quid non: *Vide*, verb. **BENEFICIA**, art. 4, verb. **CAPITULUM**, art. 3, et verb. **VICARIUS CAPITULARIS** per tot.

(29. Vacante Sede Apostolica major pœnitentiarius, seu ejus officiales facere et expedire possunt quæcunque ad forum conscientie pertinent. Ideo absolvi seu absolvi mandare in dicto conscientie foro possunt ab iis quoque censuris, a quibus alias vivente Pontifice adempta etiam majori pœnitentiario, et Pœnitentiariæ officio absolvi facultas reperitur. (30. Hac tamen lege, quod in hujusmodi censuris, ad tempus duntaxat, et cum reincidentia in eadem, servatis alias servandis, absolutio concedatur; ita ut qui fuerint absoluti, ad novum Pontificem intra terminum pro locorum distantia definiendum, recurrere pro eadem causa teneantur: (31. Neque liceat pœnitentiario majori, ejusque officialibus præfinitum terminum post Pontificis electionem ampliare vel prorogare. *Benedict. XIV*, tom. I, constitut. 95, incip. *Pastor bonus* 151, qui, § 52 ad 55 prosequitur declarare facultates sede vacante majori pœnitentiario competentes, ibi § 52: « Præterea concedimus, ut si quando aliquod gravius animæ periculum imminet, cui celeriter occurrendum videatur, re in signatura diligenter examinata, et majori quoque Pœnitentiario, si in conclavi degat pro materiæ gravitate consulto, et approbante, dispensare, aut dispensari mandare pro eodem foro conscientie valeant, super quibus, alias vivente Pontifice, inhibita sit majori pœnitentiario, et pœnitentiariæ dispensandi facultas; ita tamen, ut oratores, sicuti superius dictum est, ad novum Pontificem post ejus electionem similiter debeant recurrere, aliisque appositis clausulis pro casus natura necessariis et opportunis.

(32. « Pro foro vero externo, eadem Sede Apostolica vacante, eorum officium penitus conquiescat, ita ut a quibuscunque matrimonialibus, et aliis dispensationibus, et absolutionibus, ac declarationibus, nec non quibusvis aliis expeditionibus forum fori mistim vel separatim quomodolibet respicientibus omnino abstineant.

(33. « Attamen concedimus, ut dicta Sede vacante pro foro externo facere et expedire valeant, quæ ad regularium et præsertim apostatarum et fugitivorum remedium, in superioribus facultatibus concessa sunt. Nec non ut monialibus confessarios extra ordinem valeant deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro eorum libitu

SEDES, SCAMNA.

SUMMARIUM.

1. Sedes episcopi in choro existens debet esse quasi fixa et immobilis. — 2. Sedes episcopi in

inter approbatos ab ordinario ad audiendas monialium confessiones, eligendos.

(34. « Et demum ut illos, qui in aliquam censuram sedi Apostolicæ reservatam, etiam ob violatam ecclesiasticam libertatem, vel Immunitatem publice incurserint, vel incurrisse declarati fuerint, et vere, ac sincere pœnitentes, et novi Pontificis, ad quem post electionem recurrere debent, mandatis obtemperare parati, beneficium absolutionis sibi ulterius non differri enixe deprecentur, absolvi cum reincidentia, quemadmodum in superioribus dictum est, vel absolvi mandare possint. »

(35. Vacante Sede Apostolica, processio generalis corporis Christi celebrari debet apud Vaticanam Basilicam. Idem constitut. 12, incip. *Pastoralis sollicitudinis*, § 3, ubi § sequent. præscribit etiam Ritum, quo ibi celebranda est dicta processio.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(36. Magna olim quæstio fuit, an parochiæ per assecutionem incompatibilium beneficiorum vacatæ, Pontificia Sede vacante, vel ante vacatæ, sed ex secuta interim ejusdem Pontificiæ Sedis vacatione non collatæ, possint ab ordinariis conferri, *vigore*, cap. *Si Apostolica*, De præbend. in 6.

(37. Ratio autem dubitandi inde oriebatur, quod Bonifacius VIII, in dicto cap. *Si Apostolica*, potestatem tantum fecit ordinariis conferendi parochias, quæ vacabant in curia, et ex Sedis Pontificiæ vacatione nequiverunt conferri.

(38. Prævaluit nihilominus affirmativa opinio, ex ratione illa, quod si Bonifacius VIII, facultatem dedit ordinariis conferendi mox dictas parochias obnoxias dictæ reservationi in corpore juris clausæ, multo sane magis facultatem dedit conferendi parochias obnoxias alteri huic reservationi inductæ ab extravagantibus, et Regula 1 *Cancellariæ*, quæ utpote non clausa in corpore juris, longe minor est. (39. Accedit quod Bonifacius VIII providere intellexit salutem animarum, ne ex diutina Sedis Pontificiæ vacatione proprio pastore diu careant. (40. Hæc autem ratio urget, quæcunque sit reservatio parochiæ. *Vide* celebrem decisionem Rotæ, in *Commen. parochialis* 11 Maii 1731, coram feliciter regnante Summo Pontifice inter impressas, dec. 16.

(41. Et quod hic non est silentio prætereundum, Rota hanc affirmativam opinionem tenet, licet agatur de parochia habente decretum, quod de ea tali pacto vacata, *per Sedem Apostolicam tantum disponi possit*: (42. propterea quod ex hoc decreto non emergit nova reservatio, sed eadem per extravagantes et Regulam 1 *Cancellariæ* inducta.

choro existens quomodo ornanda? — 5. Sedes episcopi, et chorus canonicorum debent reduci ad formam cæremonialis. — 4. Sedes episcopi in ec-

clesia exempta, in qua abbas usum mitræ habens, etiam habet sedem, quomodo collocanda? — 5. Sedes abbatis seu prioris habentis usum mitræ et baculi quomodo locanda? — 6. Sedes abbatis exempti etiam in ecclesiis suæ jurisdictioni subjectis debet esse inferior sedi episcopi. — 7. Sedes dignitatum absentium non debent occupari ab aliis dignitatibus, sed unaquæque debet in proprio stallo permanere. — 8. Gubernatoris civitatis sedes qualis, quando vadit ad concionem? — 9. Sedes laicorum etiam præfectorum non sunt locandæ in presbyterio apud altare. — 10. Sedes, scamna et loca in ecclesiis sæcularibus moderari debent arbitrio episcopi. — 11. Sedes pro audienda concione quomodo aptari debeat? — 12. Sedes esse non debent in Ecclesia extra tempus concionum. — 13. Maxime si sint occasio scandali. — 14. Nisi sint

(1. Sedes episcopi in choro existentis debet esse quasi fixa et immobilis, juxta dispositionem libri cæremonialis in tit. *De sedibus episcopi*. Ita sacra congregat. Rit., in *Colimbrien*. 23 Maii 1603.

(2. Sedes episcopi in choro existentis ornanda est serico vel alia materia coloris congruentis tempori, juxta regulam libri cæremonialis d. tit. *De sedibus episcopi*; in eadem sacr. congreg. Rit., in *d. Colimbrien*.

(3. Sedes episcopi et chorus canonicorum, si fieri potest, debent reduci ad formam libri cæremonialis. Sacra congregatio Rit., in *Granat*. 9 Maii 1609.

(4. Sedes episcopi in Ecclesia exempta, ubi abbas usum mitræ habens, etiam sedem tenet, quando illuc accedit, est in cornu dextro chori sive Ecclesiæ collocanda uno gradu eminentiori cum ornato congruo et situ aliquatenus superiori respectu sedis abbatis, quæ in sinistro ponenda est uno gradu humilior absque ornato et loco aliquatenus inferiori, adeo ut non sit opposita sedi episcopali. Sacra cong. Rit., in *Alexandrina S. Petri in Bergolio* 7 Februar. 1604.

(5. Sedes abbatis seu prioris habentis usum mitræ et baculi debet collocari in cornu Evangelii in plano presbyterii cum duobus tantum gradibus parvis, et sine ullo suppedaneo suggestu lapideo vel ligneo, ac sine baldachino desuper, sed cum postergali tantum ex aliquo panno vel serico levi, sine auro, coloris convenientis solemnitati. Sacra congregatio Rit., in *Neapolitana* 18 Martii 1617.

(6. Sedes abbatis exempti etiam in Ecclesiis suæ jurisdictioni subjectis debet esse inferior Sede episcopi. Sacra cong. Rit., in *Aquilana* 18 Martii 1617.

(7. Sedes dignitatum absentium non debent occupari ab aliis dignitatibus seu canonicis, sed unaquæque dignitas in proprio stallo permanere debet; sedes vero absentis vacua esse debet. Sacra cong. Rit., in *Capuana* 12 Martii 1618, et in *Placentina* 25 Maii 1632.

(8. Sedes gubernatoris civitatis, quando audit concionem simul cum episcopo, debet esse apud episcopum, quæ non sit major, nec pulchrior sede ipsius episcopi, et neutra sit coloris rubri. Sac. congreg. Rit., in *Perusina* 3 Octobris 1615.

lapideæ, vel etiam ligneæ parietibus adhærentes. — 15. In removendis vel alterandis sedibus non debent permitti novitates. — 16. Sedes possunt a dominis ornari. — 17. Et eis etiam inscriptio, vel aliud signum apponi. — 18. Est removenda sedes adeo altari vicina, ut celebrantem impediatur. — 19. Regularium superiores non possunt remove sedes a loco solito, nisi cum circumspectione, maxime si spectent ad magistratum. — 20. Debent tamen sollicite attendere, ne in suis ecclesiis occasione sedilium, et scamnorum rumores, et scandala oriantur. — 21. In Ecclesia de jureparonatus laicorum non potest episcopus concedere jus retinendi sedilia invito patrono. — 22. Genuflectoria honorifica retineri possunt a dominis loci in ecclesia. — 23. Alia ad rem, ad n. 28. Subnectuntur *Addit. Casinenses, ibid.*

(9. Sedes laicorum, veluti præfecti seu locumtenentis non sunt locandæ in presbyterio apud altare. Sacra cong. Rit., in *Egitanien*. 10 Junii 1602, in respons. ad 6 dub.

(10. Sedes, scamna et loca in ecclesia sæculari moderari debent arbitrio episcopi. Sacra cong. Rit., in *Ventimilien*. 10 Decemb. 1604, in respons. ad 3 dub. Episcopus enim est absolutus arbitri illa moderandi et removendi, præsertim quando sunt causa rumoris, et impediunt functiones ecclesiasticas, ut sæpe sæpius resolvit sacra cong. Episcop., apud Nicol., in *Floscul.*, verb. *Ecclesia*, n. 11, et nuper in *Narnien. terræ Carbi* 8 Maii 1693, in *Fundana* 5 Octobris 1697, et in *Verulana* 6 Septembris 1698, apud Monacell., part. 1, tit. 5, formul. 8, n. 4.

(11. Sedes pro audienda concione ita debent aptari, ut aliis retro stantibus ad visum prædicatoris non officiant. Sacra cong., in *Faventina* 11 Aprilis 1601.

(12. Sedes non debent esse in ecclesia extra tempus concionum. Sacra congreg. Episcop., in *Januen*. 7 Aprilis 1583. (13. Maxime si sint occasio scandali. Ead. sacr. cong. Episcop., in *Cirentina* 24 Septemb. 1583. (14. Nisi sint lapideæ vel etiam ligneæ parietibus adhærentes. Eadem sacra congregatio Episcop., in *Sarzan*. 21 Novembris 1600, et 28 Febr. 1601.

(15. In removendis et alternandis sedibus non debent permitti novitates. Sacra congreg. Episcop., in *Cirentina* 4 Junii 1602, et in *Ferentina* 8 Decembris 1645.

(16. Sedes possunt a dominis ornari. Sacra congreg. Episcop., in *Andrien*. 25 Octobris 1602. (17. Et eis etiam inscriptio vel aliud signum apponi. Ead. sacra congreg. Episcop. 14 Januar. 1603.

(18. Est removenda sedes adeo altari vicina, ut celebrantem non impediatur. Sacra congreg. Episcop., in *nullius castri Durantis* 10 Novembris 1623.

(19. Regularium superiores non possunt remove sedes a loco solito, nisi cum circumspectione, maxime si spectent ad magistratum. Sacra cong. Episcop. et Regul., in *Assisien*. 22 Martii 1603. Debent tamen superiores regularium sollicite attendere, ne in suis ecclesiis occasione sedilium et scamnorum, rumores et scandala